



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

VI. Die Markgrafen Otto, Conrad, Johann, Otto und Heinrich verkaufen dem
Kloster Seehausen eine Hebung aus Pasewalk, am 11. Juni 1295.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

VI. Die Markgrafen Otto, Conrad, Johann, Otto und Heinrich verkaufen dem Kloster See-
hausen eine Hebung aus Pasewalk, am 11. Juni 1295.

In nomine sancte et individue trinitatis Amen. Otto, Conradus, Johannes, Otto et Hinricus, dei gracia Brandenburgenses et de Landesberge marchiones, omnibus in perpetuum. Quoniam habere memoriam de singulis non est humani intellectus, sed potius diuini, expedit ergo, ut ea, que coram nobis rationabiliter ordinantur, et voce testium et litterarum testimonio perhennentur. Proinde notum esse volumus tam presentibus quam futuris cristi fidelibus vniuersis, quod ecclesie Sanctimonialium in Sehufen ordinis Cisterciensis vendidimus et donauimus in nostro molendino Pozsewale triginta choros filiginis annis singulis circa festum sancti Martini percipiendos, proprietatis tytulo perpetuo possidendos, nec non eodem iure memoratos triginta choros filiginis sepedicte ecclesie donantes, prout alia bona in eorum priuilegiis sunt confecta. Et ut hujus nostre donationis deuocio seu vendicio dicte ecclesie sepedictis monialibus inibi domino deo famulantibus fiat quoad temporale subsidium fructuosa ac eciam ut a nemine hominum immutari valeat in posterum uel infringi, presentem paginam conscribi fecimus, sigillorum nostrorum munimine roboratam. Adhibitis eciam testibus ydoneis, quorum nomina pro maiori firmitate duximus exprimenda. Venerabilis dominus, abbas Chorinensis, Wernerus de Swaneberge, Johannes de Oldenylit, Ricardus de Wozstrow, Henningus de Sydow, Henningus de Blankenborg, Hinricus de Stegelitz et Henningus de Bents, aduocatus noster tunc temporis in pozswale, milites, et quamplures alii tam clerici et laici fide digni. Actum et datum Prinzslaw, Anno domini Millesimo Ducentesimo et Nonagesimo Quinto, Sabbato in die Barnabe Apostoli.

Klödens dipl. Geschichte des Markgrafen Waldemar I, S. 414—415.

VII. Markgraf Woldemar verkauft dem Kloster Seehausen eine Hebung aus Pasewalk,
am 11. November 1314.

Woldemarus, dei gracia Brandenb., Lufacie et de Landesberg marchio, Omnibus ad rei geste memoriam sempiternam. Continuus et incessans temporis fluxus res et acta hominum in obliuionem transfunderet, nili ope scripturarum remedium fieret salutare. Hinc est quod constare volumus tam presentis uite hominibus quam future, quod deuotis in christo personis abbatisse et conuentui in Sehufen vendidimus iusto vendicionis contractu viginti choros ordei brasium in molendinis nostre ciuitatis Poswalk cum proprietate eorundem, perpetuis temporibus in duobus anni cuiuslibet terminis scilicet beati martini et beate Walburgis omni impedimento et mora cessantibus percipiendos expedite, Mittentes honorabilem virum dominum prepositum eiusdem claultri in possessionem predictorum chororum et proprietatis eorundem nomine predictarum abbatisse et conuentus sollempnitate qua conuenit et qua decet, Renunciantes quoque dictis choris et eorundem proprietate et possessione perpetuo, quoad nos et heredes nostros necnon quoslibet successores. Proinde ex parte predictarum abbatisse et conuentus nobis loco precii persolutum est in numerata